



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Constantia in exorando parentes eum à studijs auocare volentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](#)

IOANNIS BERCHMANNI. II
ra adolescentuli huius secum reputasset, hoc
de eo eximum testimonium dixit: *Angelum*
fuisse Ioannem, in eōq; Angelicam castitatem
effloruisse; atque ad summam dicturos om-
nēs, in Ioanne fuisse virtutum omnium thesa-
rum. Ex hisce testium affirmationibus, quan-
ta fuerit Ioannis ēā aetate bonitas innocen-
tiaque, quod ingenium, quæ de eo expecta-
tio, facile poterit aestimari. Tamen quod pa-
rentem deficerent facultates, quibus diutiū
studiorum eius impendia sustentare posset,
pater ad se vocatum coram matre admoni-
uit, videri sibi ē re facturum, si ad artem ali-
quām faciendam animum cogitationesque
transferret, quando sibi in studia eius longius
promouenda non satis opum suppeditaret.
Percussus eo nuntio Ioannes, consilijs suis
vtique vehementer aduerso, ad patris matrif-
que genua abiectus, tensis manibus supplex
obtestari, interposito Dei amore, cœpit, per
eos sibi liceret in Ecclesiasticorum nume-
rum referri: id quod, etiamsi sine studio lit-
terarum fieri non posse, satis intelligeret; ne *Constantia*
tamen paternam domum nimio grauaret *in exorando*
sumptu, se panis atque aquæ viētu conten-
tum fore pollicetur, si modò à proposito non
auocarent. Quæ verba tanto cum sensu con-
stantiaque est prolocutus, vt ijs commotus
pater, non iam studia eius auderet yltrâ retar-
dare,

dare , sed de eo quoque ad aliquem applicando agitaret , cui & ipse seruiendo , operam simul locaret , & à quo studendi inuicem acciperet facultatem . Ac post paucos dies quam Decano Diesthemensi Ioannem patet collocasset , Mechliniam eum ablegauit ad D. Ioannem Freimontium , Canonicum templi Cathedralis , qui eum filij instar charuum semper habuit , studendiisque copiam fecit . Mechliniā concessit Ioannes anno 1613 . nondum expletâ aetate annorum quatuordecim , eiusdem iam dicti heri contubernio usus , dum in Societatis tyrocinium adlegetur . Frequentauit tantisper humanitatis scholam vetusti in eâ vrbe Collegij , donec instituto Societatis Gymnasio , ad illud , contra multorum praecipuorum voluntatem , non sine Dei (vt ipse aiebat) singulari prouisione , se transferret , fuitque , examine facto , idoneus audiendæ Rhetoricæ iudicatus , & Rhetorum in classem transcriptus . Hic demum adolescentis indoles elucidere , seseque supra prima virtutis elementa publicare ; & qui nuper paternâ in domo , inter accumbendum , perpetuò librum habuerat ad manus , hic noctes totas sine somno in studijs Vigilia in ter studen traducere , sciendi cupiditate ; ac si qua per diem cum hero prodeundi necessitas coegeret , libellum vna secum conferre , temporis

*Canonico
ministrat
ad studio-
rum sum-
ptus suble-
uandos.*

*Rhetoricā
audit in
Collegio
Mechliniē-
si Societa-
tis Iesu.*

*vigilias in-
ter studen-
dum.*

vin-